

IN FUNERE
CAROLI VI.
ROMANORUM REGIS, IMPERATORIS ELECTI
ORATIO
Habita in Sacello Quirinali VI. *Kal. Decembris*

AD

SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
BENEDICTUM XIV.
PONT. MAX.
A

JOHANNE CAROLO BOSCHI
Ab intimo Pontificio Cubiculo.


BEATISSIME PATER,



ELATUM *mihi a* SANCTITATE TUA *præclarissimi Imperatoris laudandi munus, hac Oratione implere, pro virium mearum imbecillitate, conatus sum, quam in ipsa funeris celebritate, benignissime au-*

diente Te, dictam, nunc typis excusam Tibi sisto consecroque. Hæc autem non ideo in publicum prodit, quod ego eam aut argumenti dignitati satis respondentem, aut Tuo nomine auspicioque dignam, vel etiam acri & censorio judicio parem esse, mihi persuadeam: Sed quia extremum hoc pietatis officium meritissimi Principis memoriæ, tuo jussu, tributum, pervulgari, atque omnibus testatum esse, SANCTITATI TUÆ *non ingratum fore judicavi.*

ORA-



ORATIO.



IN funere augusti, invicti, religiosissimi principis, CAROLI VI. Romanorum Imperatoris electi, Germaniæ, Hispaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regis, BEATISSIME PATER, non ego me communi moestitiæ solatium ullum dicendo allaturum confido. Quis enim maximum hunc, justissimumque dolorem aut eloquentiæ vi mollire, aut rationibus minuere se posse speret? Video Imperium florentissimum suo moderatore repente orbatum: complura Regna, ac nobilissimas Provincias longe lateque dispersas, Austriacæ gentis dominatione jampridem felicissimas, nunc eam tot heroum, tot regum stirpem, exspectata nequicquam virili sobole, in uno capite excisam lugentes: video Christianam rempublicam hoc validissimo propugnaculo, quod unum contra Turcarum tyrannidem objicere jamdiu consueverat, intempestivo casu destitutam: Europam omnem maximas turbas, rerum omnium subversionem, extremum denique excidium pertimescentem. Quæ quum mihi omnia ante oculos obversentur, ego ne tot lacrymas tergere, tantam luctus acerbitatem so-

ſolari aggrediar? Tu ipſe, BEATISSIME PATER, hujus inopinatæ calamitatis accepto nuncio, obortis lacrymis, ſtatim in genua procumbens, neſcio an parem tanto infortunio animum de Cœlo poſtulaturus, an impendentia forſan Orbi Chriſtiano majora damna deprecaturus, ceterorum mœrorem, trepidationemque ſatis comprobaſti. Ego vero id mihi ſumam, ut hujuſmodi vulnus lenire, hanc ægritudinem oratione mea levare me poſſe putem? Si de laudibus optimi principis aliquas commemorare inſtituam, nonne triſtitia ex illius deſiderio percepta ipsâ laudatione recrudeſcet? Et tamen tuæ, Pater, erga præclariſſimum cariſſimumque filium pietati ſatisfaciendum eſt; & minime decet religioſiſſimi Imperatoris funus ideo ſine laudatione tranſigere, quod ipſe omnium laude digniſſimus fuerit. Parendum eſt igitur pietati, conſuetudini recte inſtitutæ, atque ipſi juſtitiæ parendum; ac nonnulla de illius virtutibus dicenda ſunt: quibus ſi minus levari poterit dolor, hoc ſaltem in ipſo dolore miſerum ac triſte ſolatium capiemus, quod maximo jure lugere nos, omnibus comprobabimus.

Si mihi liceret Imperatoris Caroli vitæ, quamvis heu non ad ſenectam productæ, partes omnes atque ætates oratione percurrere, atque ſingula ab ipſo fortiter, ſtrenue, prudenterque facta commemorare, facile omnes optimi principis dotes in eum confluxiſſe demonſtrarem. Sive enim maxima bella, non ſolum ejus auſpicio, ſed etiam ipſius ductu atque imperio geſta proponerem; ſive providentiſſimas leges judiciorum æquitati ac populorum regimini conſtitutas; ſeu denique, totius temporis, quo Romanum Imperium, atque avitæ ditionis Provincias rexit, hiſtoriam pertexendo, ſapientiſſimam reipublicæ adminiſtrationem explicarem; paucos admodum principes pacis bellique artibus æque

cla-

claruiſſe, oſtendere poſſem. Sed quoniam & temporis anguſtiæ id minime ferunt, & ſanctiſſimi Eccleſiæ Paſtoris, atque ampliſſimorum Religionis antiſtitum præſentia me admonet, ut ea potiſſimum dicendo perſequar, quæ in Chriſtianiſſimo Imperatore ad religionis ac pietatis memoriam clara atque inſignia fuerunt; plurima laudis argumenta relinquam, quæ nihilo minus recordationi hominum atque hiſtoriæ concredita, tanti principis gloriam immortalitati commendabunt.

Non eodem modo de principibus viris Eccleſia judicat, ac reliquum hominum vulgus. Hi etenim humanam gloriam, opes, potentiam, delicias, maximo in pretio habentes, eos ex omni hominum numero beatiſſimos putant, qui hujuſmodi bonis abunde circumfluunt, eos colunt, atque ſuſpiciunt, penes quos illorum arbitrium ac poteſtatem eſſe demirantur. Longe alia Eccleſiæ, cœleſtis Magiſtri doctrina edoctæ, ſententia manet. Quod enim iis rebus, erga quas mortalium cupiditas fertur, principes potiſſimum affluant, id nullo iis bono, ſed maximo periculo, atque ad veram beatitudinem aſſequendam impedimento, eſſe ducit. Sed ſi quis eorum, ex hujuſmodi laqueis emergens, vitæ ſuæ rationem ad Chriſtianæ inſtitutionis normam conſtanter dirigit, hunc feliciſſimum judicat, hunc ſapientiſſimum prædicat, hunc fortiſſimum merito appellat; qui hoſtes non modo propria ſingulorum vi ac ferocitate timendos, ſed facto veluti agmine in ſuam perniciem conſpirantes proſtraverit atque devicerit.

Quæ quum ita ſint, BEATISSIME PATER, ecquem in omni hiſtoria principem reperiemus, cui non maximarum virtutum laude Carolus VI. Imperator comparari poſſit? Qui ab ipſo ineuntis ætatis principio maximi regni poſſeſſionem adeptus, atque in ſummo humanarum rerum faſtigio collocatus, omnia cupiditatum

 irri-

irritamenta, quibus ea conditio, atque illa ætas sollicitatur, animi virtute superavit, ac totum juventæ cursum caste integreque transegit. A deliciis vero semper ac voluptatibus longissime abfuit; neque alia animo levando quæsivit oblectamenta, quam quæ aut corpus honesta exercitatione obfirmarent, aut mentem utilibus ac liberalibus disciplinis instruerent. Qua quidem ex re fructum uberrimum ac præstantissimum cepit. Ita enim & in arduis belli laboribus tolerandis, periculisque adeundis, (in quo se cuilibet gregario militi socium, immo exemplar sæpe præbuit,) patientissimi semper corporis viribus usus est: & in sustinendis maximi Imperii curis, non solum præsentiam animi, ac sedulam semper vigilantiam præstare non detrectavit; sed ipse de publicis rebus assidue meditari, atque optimas explicandis negociis rationes invenire per se potuit, easque consiliorum suorum, ac rerum gerendarum administris præscribere consuevit: Ita ut omnia, quâ ejus imperium erat, non tam illius nomine, quam ex illius sententia, atque ejus auctoritate & consilio gererentur. Tantum scilicet corporis animique robur, nunquam enervata integerrimæ vitæ morumque severitate sibi comparavit.

Ac ne ipsum quidem sapientissimi Imperatoris otium expers unquam fuit honestatis, ac laudis. Quod enim tempus a gravioribus curis vacuum illi fuit, id litteratorum hominum colloquiis, ac præstantiorum doctrinarum studiis tribuere in deliciis habuit. Ex quo quidem principis amore, mirum quanta ad humaniores artes, disciplinasque omnes utilitas venit. Sublevata Imperiali munificentia doctorum virorum egestas: conquisita undique atque asservata Romanæ, Græcæ, Hetruscæ antiquitatis monumenta: Vindobonensis Bibliotheca infinita Librorum ac MSS. Codicum accessione locupletata, atque studiorum ac studiosorum omnium

com-

commodis patefacta. Quod si humilioris fortunæ hominum singularis laus est, animum abducere a pravis cupiditatibus, quibus explendis ut plurimum facultas deest, seque ad virtutis, doctrinæque studia convertere; quid dicendum de maximo rege, qui contemtis circumsidentium atque avocantium voluptatum blanditiis, solidam, ac viro principe dignam sapientiam consectatus est?

Neque vero hujusmodi voluptatum fuga asperæ cujusdam ac rudis naturæ vitio tribuenda est, quæ illas non consilio ac judicio a se averteret, sed præ superbia atque imperandi libidine, relinqueret potius, atque aspernaretur. Quid enim Carolo Cæsare in omni vita humanius aut lenius fuit? Quis majori benignitate & clementia imperium temperavit? Quis unquam jus regni, per se grave atque odiosum, subditis populis suavius aut jucundius præstitit? Nihil ab eo impotenter factum, nihil acerbe dictum: nulla circa illum apparatus luxuria, præterquamquod Imperii dignitas postularet: singularis in externo cultu modestia, summa in alloquio comitas, cum majestate & gravitate conjuncta. Nimirum ita secum statuerat, ut dum Imperii, quod gerebat, & officio & dignitati satisfecisset, ceteris in rebus hominem se esse, ac sola muneris sibi commissi difficultate & gravitate reliquis præstare cogitaret. Humilis profectò, atque imbecilla mens est, quæ externis amplissimæ fortunæ splendoribus capta, neque modum tenere, neque officii meminisse valet. Sublimior atque erectior animus Carolo fuit, quippe qui aliquid ipso Imperio præstantius agnoscere fatebatur. Itaque quum nonnunquam pro oblata oportunitate aliquid ipsi agendum proponeretur, quod in illius utilitatem vergeret, fidei vero olim datæ repugnaret, in eam sæpe sententiam verba fecit: *ante se viri probi, quam Imperatoris partes*

præ-

præstare debere. O sublimis sententia! o vox, quæ totam illius animi magnitudinem una declarat. Si Philosophus, ut Platoni olim in votis fuit, reipublicæ habenas capesseret, quid unquam nobilius, quid altius ex intima Philosophia depromere posset? At quid ego Philosophiam cogito, quæ sublimibus quidem disputationibus præceptisque se in vulgus jactare, sed nihil præterea firmum & constans in animum inducere solet? Quid ex humanis artibus institutisve accipere potuit, quo se contra omnes voluptatum illecebras muniret; quo superbiam, in medio Regiæ dignitatis splendore, reprimeret; quo, supremæ dominationis comitem, impotentiam animi coerceret? Hujusmodi monstra nonnisi coelesti virtute edomari, & conculcari possunt. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum; Fides nostra*. Hæc animum erigit, atque in sublime tollit, eique humanarum rerum levitatem ostendit. Hæc, inquam, magnanimum Cæsarem, terrena omnia, veluti fluxa ac fragilia, despicere, nihil, præter unam virtutem, magni facere docuit.

At non in illo *Fides* otiosa erat, quæ nihil *per caritatem operaretur*: Deum ex animo colere, ac venerari; supremum illi honorem publice habere; statis diei horis preces fundere; singulos solemnes per annum dies cum Ecclesia in Dei cultu traducere; hæc, atque alia plurima, quibus assidue exercebatur, religionis officia, satis evincunt, nihil illi caritate in Deum ac pietate antiquius fuisse. Talem esse oportuit, qui ingeneratam a majoribus præcipuam quamdam religionis laudem, veluti hereditate relictam, una cum Imperii gloria accepisset; in eorum vero parentum gremio educatus esset, Leopoldi, inquam, atque Eleonoræ Augg., quorum memoria perpetuo apud Ecclesiam *in benedictione erit*. Præclarum porro, admirandumque spectaculum! Maximum principem in omni pietatis officio subditis populis exemplo

plo præire; auguſtiſſimo Dominici Corporis myſterio impenſiſſima cultus ac religionis obſequia veteri domeſtico exemplo præſtare; ad aras, in Templis, in publicis ſupplicationibus, non tam loci dignitate, quam oculorum ac totius corporis demiſſione ac modeſtia omnibus antecellere; Prætorianos milites, milites, inquam, in Eccleſiis ſilentium facere, ac debitam locis Deo dicatis venerationem exigere!

Nec ſolo exemplo atque auctoritate ſummi Numinis cultum augere ac proferre ſategit. Catholicæ Fidei puritatem, qua ab ingruente hæreſeos contagione immunem ſervavit; qua, repreſſa hæreticorum audacia, defendit; excitatis alibi Templis, Paſtoribus conſtitutis, annuo cenſu attributo, amplificavit: Eccleſiæ muneribus aut dignitatibus nullos ſe auctore augeri voluit, niſi quos noviſſet doctrinæ ac probitatis laude commendatiſſimos: Societates Religioſorum hominum, per quos Fides ac Pietas in populis conſervantur atque augentur, favore, opibus, auxilio fovit, ſuſtentavit, adjuvit.

Quid ego hic pia & religioſa bella recenſeam, quibus cum Turcarum Tyranno, acerrimo noſtri nominis hoſte, conflixit? Numquid ex hominum memoria excidiſſe potuit formidoloſum illud atque anxium Chriſtianæ Reipublicæ tempus, quum Peloponneſo jam tota in Turcarum poteſtatem redacta, Corcyrâ obſeſſa, ipſa jam Italia hoſtilium armorum ſtrepitus audiret, ipſa hæc Romana Urbs, Religionis ſedes, trepidaret, univerſa demum Europa victrices hoſtium copias pertimeſceret? In tanta Eccleſiæ calamitate, in maximo Chriſtianorum omnium periculo, ad quem potiſſimum ventum eſt, niſi ad Carolum Romanorum Regem, cujus perſpecta pietas ac virtus communibus fortunis perfugio eſſet? Ad eum igitur miſſæ litteræ, adornata Legatio, maximæ auctoritatis Legatus ex ampliſſimo

Ec-

Ecclesiæ Senatu designatus. Verum non ille hujus adventum; at quid dico adventum? neque profectionem exspectandam sibi esse duxit. Simul atque impendentia Religioni pericula, Christianis gentibus damna animo perspexit, ipsa ejus pietas, ipsa ejus virtus statim Italiæ, Europæ, Romæ ac Religioni opem tulit; imminentes Urbium populationes, Ædium sacrarum direptiones, agrorum vastitatem, populorum stragem avertit; bellum maximum & periculosum contra hostem potentissimum, ac recenti victoria elatum, in se suscepit, summa contentione gessit, ac mira felicitate confecit. Incredibiles profectò victorias ab eo reportatas, innumeras hostium copias profligatas atque deletas, munitissimas Civitates obsidione aut vi captas, Orbis admiratus est, eaque de causa sæpe hujus Urbis Templa lætitiæ cantibus, & gratiarum actionibus personuere. Verum nunc minime ea quærimus, quæ a præpotentis Dei munificentia eximiæ pietatis præmia tulit. Illud ad institutæ orationis argumentum magis pertinet, quod sola pietatis & religionis causa ea bella ingressus est, quod Romano impellente Pontifice arma movit, quod obventas bellorum felicitates Deo acceptas tulit, quod erepta hostibus signa Templorum tholis suspendit, quod victoriæ fructum amplissimum duxit, Fidei Christianæ propagationem.

Quod si pro communi Christiani Orbis incolumitate tot curas suscipere, tot sumtus facere, tantum operæ ac laboris conferre non recusavit, qua benevolentia subditos populos, omnesque sibi arctioribus caritatis nexibus junctos complexum fuisse existimabimus? Solida ac vera virtus ea demum censenda est, quam rectæ mentis consilium ordine ac ratione gubernat. Sed quum beneficia omnia ab illius humanitate erga omnium ordinum homines profecta nemo dicendo assequi possit, vos

ego

ego ſaltem ejus rei teſtes appello, quotquot principem Auſtriæ Urbem incolitis, quos teterrima graſſante lue, reliquis procul aufugientibus, non modo nunquam deſeruit; ſed, quamvis corrupta cœli temperie, inter mortuorum cumulos, atque ægrotantium turmas, in maximo vitæ periculo, verſatus, omnem ſollicitudinem, providentiam, liberalitatem eo contulit, ut veſtras calamitates minueret ac ſublevaret. Vos ego teſtor, fidiſſimi illius in varia fortuna comites, quos ea ſemper beneficentia proſequutus eſt, ut nunquam vos pœnituerit, natale ſolum & patrias domos pro eo reliquiſſe: Vos, veterani milites, quos ſenio ac vulneribus confectos, ampliſſimis ædibus incredibili magnificentia excitatis excepit, atque aluit: Vos denique, infractarum ipſius legum contemtæque majeſtatis reos, vos, inquam, ipſos compello; pro quorum ſalute ac vita non opus fuit Eccleſiæ Sacerdotes, ut olim, aulam adire, preces & lacrymas fundere; quum præſentiſſimum vobis in ipſius manſuetudine & clementia præſidium inveneritis.

Jam vero, cui tam excelſum per Fidem animum, Caritate autem ferventem adeo fuiſſe vidimus, non eum etiam ſumma fortitudine & conſtantia præditum fuiſſe judicabimus? Immo vero his ita claruit, ut proprium illi ac peculiare Constantiæ ac Fortitudinis inſigne omnium conſenſu attributum fuerit. Eas nimirum virtutes ſemper in deliberando conſuluit, eas in agendo ſequutus eſt. Nulla unquam fuit tam aſpera rerum facies, qua ita commoveri ſe paſſus ſit, ut ſibi, ſuæque virtuti ac dignitati, aut ullius demum generis officio deeſſet. His virtutibus præcipue fretus, adverſos fortunæ caſus fortiter tulit, quibus & ſæpe alias, & extremis potiſſimum vitæ annis, (quo fortaſſe ad vitam hanc miſeram libentius relinquendam compararetur,) afflictus eſt.

Qui-

Quique secundis successibus nunquam elatus fuit, idem conversionem rerum, commutato dumtaxat virtutis, ceu armorum, genere, pari æquitate animi excepit. Mirificæ porro illius fortitudini, qua filium unicum, in cujus vita Cæsareæ Familiæ spes, atque Europæ omnis tranquillitas recumbebat, immatura morte sublatum aspexit, & suam orbitatem semper æquo animo tulit, quæ potest par oratio inveniri? Quæ ego hic publicæ ac privatæ virtutis exempla, brevitati consulens, silentio prætereo?

Sed tota augusti principis virtus ex omni parte se ostendit in præclara obeunda morte; quam & sine perturbatione præsensit, & absque timore exspectavit, & constantissime ac sanctissime occubuit. Vix ille salutem suam in aliquod discrimen adductam esse intellexit, quum se jam ad omnia promtum ac paratum esse, jam Divinæ voluntati acquiescere professus est. Mox ingravescente vi morbi, animæ primum, sua jam *in domum Domini profectione lætantis*, tum & publicis ditionum suarum, & privatis Augustæ Familiæ rebus tempestive ac tranquille consulens, omnibus religionis, pietatis, grati, ac liberalis animi officiis satisfecit. Ubi vero, inter acerrimos cruciatus, dissoluta pene jam corporis compage, certissima moriendi necessitas illi se obtulit, quosnam illi sensus mortis præsentia inspiravit, quænam illi verba dictavit? *Jam mihi*, ait, *perinde est, ac si de uno in aliud cubiculum migrandum foret. Graviora quidem sunt, quæ me post obitum manent: Sed* (crucifixi Servatoris imaginem tunc amplexus) *in hoc*, inquit, *confido*. O fortem invictumque animum! o magnam, admirandamque constantiam! Vel potius, magnam illam quidem, nunc vero minus mirandam, quando firmissimum, quo nitebatur, fundamentum compertum est. Atque ille quidem hac animi fortitudine usque ad extremum spi-

ſpiritum ſibi conſtans, ſibi præſens, Deo fidens, *gloriam ſuam & honorem in beatam illam Hieruſalem allaturus* abſceſſit: Nos autem miſeros in ſui deſiderio, in luctu & ſquallore, in anxietate ac trepidatione reliquit.


At quid ego, qui invictam hucuſque Principis conſtantiam ac fortitudinem commendavi, lamentari adhuc, atque animum deſpondere pergo? Quin potius, illius exemplo, hujuſce caſus acerbitatem *de manu Dei* toleranter *ſuſcipere*; de iis vero, quæ ventura ſunt, *omnem ſollicitudinem in Deum projicere*, & mihi & aliis ſuadeo? Hoc melius; hoc, inquam, faciendum cenſeo: Et quod initio fieri poſſe negavi, ut aliquam ſcilicet communi dolori conſolationem adhiberem, nunc id aliquo pacto obtinere non deſperabo. Quod enim ad pientiſſimi Imperatoris obitum attinet, vix hunc lugere nos decet, quem nonniſi gradum ei fuiſſe ad Regnum multo præſtantius cum Rege Regum perpetuo obtinendum, merito confidimus. Quæ vero damna inde eventura eſſe veremur, iis plus æquo commoveri, paterna nos optimi Numinis providentia vetat: Sperandum eſt enim quod is, qui hoc ipſo anno diuturnam Eccleſiæ viduitatem, religioſiſſimo, ſapientiſſimo, optimo demum Pontifice in Petri Cathedra conſtituto, ſolatus eſt, idem in vacuum Imperii Romani ſolium, ad Chriſtiani populi præſidium, ad Eccleſiæ tutelam ac patrocinium, principem virum omni genere laudis præſtantem, concordibus Electorum ſuffragiis, quam citiſſime ſubrogabit.

F I N I S.

R O M Æ

Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXL.

SUPERIORUM PERMISSU.


LORIS of FLORENCE
V 17